

alternis, subaequalibus, composita, quae ita sunt approximatae ut spicula inferior apice suo basin superioris attingat. Bractea quae in spiculae inferioris basi interdum observatur, ovata, marginata, dorso nervo viridi elevata, apice nonnunquam arista terminata. Gamophylla undique imbricata ovata, castanea, nervo dorsali viridi connata, akenii fere longitudine. *Akenia* ovata, rostrata, laevia, demum castanea.

Dr. Hoppe.

88.

1. *Picris paleacea* Vest.

Char. spec. P. caule simplici erecto tereti scabro paucifloro, foliis hispidulis lanceolatis denticulatis, superioribus sessilibus, floribus subcorymbosis, receptaculo paleis brevibus deciduis instructo, calyce exteriori laxo, pappo sessili.

Patria: Germania, in agris Styriae superioris circa Maria Zell, unde misit Cl. Hölzl, Botanicus et Pharmacopoeus diligentissimus.

Floret aestate.

Descriptio: Caulis spithamalis, simplex, superne paucos edens pedunculos unifloros, teres, absque sulcis hispidus, et setulis nigris hirtus. *Folia* pauca, oblongo-lanceolata, denticulata, hispida; caulina sessilia, (nec amplexicaulea). *Flores* magni, flavi. Phylla nigricantia, interiora lan-

ceolata, nudiuscula, parce pilosa; exteriora dimidio breviora, laxa, dorso setis ciliata. *Thalamus* instructus inter germina membranulis fuscis deciduis, germine paulo brevioribus. *Pappus* sessilis, distincte plumosus.

Critica. Planta statura et habitu *Hieracii* Halleri differt a *P. hieracioide*: caule tereti (nec sulcato - angulato) subsimplici, paucifolio, foliis caulinis sessilibus, omnibus fere ejusdem magnitudinis, pluma pappi magna. A *P. pauciflora* Willd. differt: pedunculis haud incrassatis, et pappo sessili. Figura *Hieracii* pappoleuci Vill. quae *P. pauciflorae* simillima dicitur a Cl. *Willdenowia* nostrae plantae parum convenit; haec enim differt: foliis paucioribus, latioribus, magis integris, sessilibus, caulibus multifloris, squamis calycinis exterioribus non subulatis, patulis, sed lanceolatis adscendentibus. Multo magis convenit nostrae icon *Hieracii* Halleri tab. 34. A *P. ruderali* differt: caule subsimplici (nec paniculato), foliis paucis, pedunculis non valde hispidis; floribus magnis.

80.

2. *Orchis signifera* Vest.

Char. spec. O. bulbis testiculatis, labello tripartito latiusculo, laciniis lateralibus suboblongis antice serrulatis, inter media productiori, sine dilatato, emarginato-bilobo serrato, petalis cuspidatis, cauda germine paulo breviora, bracteis teneris membranaceis longe cuspidatis germina excedentibus.